



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi
praesertim Ecclesiae accommodatum**

Frangipani, Ottavio Mirto

Coloniae Agrippinae, 1597

VD16 F 2269

De Archidiaconis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

virtutibus polleat, quæ in consiliario, in dispensatore, in defensore, ac protectore requiruntur.

6. Sit itaque rerum Ecclesiasticarum peritus; iudicio rectus, liber & defecatus; consilio prouidus, acris & resolutus; in disponendo industrius; in distribuendo fidelis, prudens, integer, & iustus: Qui non festinet de patrimonio Christi, se vel suos ditare; sed studeat dignos tantum promouere: Qui Ecclesias non spoliât, sed emendat: Qui non sit ociosus, multo minus delitijs resolutus, aut resupinus pompis; sed in agendo strenuus, in defendendo assiduus, in aduersitate securus, in prosperitate deuotus, actu semper reuerendus, pietate præcellens, exemplo omnibus imitandus: Qui diuites non palpet, sed terreat; minas Principum non pauet, sed contemnat; cuius feruorem, zelum, & authoritatem, reuereantur boni, timeant mali.

7. Si qui Præpositi habeant Archidiaconatum vel Archipresbyteratum suæ dignitati annexum; ad illa quoque omnia, quæ de Archidiacono & Archipresbytero dicenda sunt, idonei sint, eademque eò diligentius & perfectius exequantur, quò dignius præ illis nomen maioremque authoritatem acceperunt.

DE ARCHIDIACONIS.

1.

*a Adalp 3 in
preparatione
ad visitatio
nem pa 474.
c.
De officio
Archidiaconi
ni Cap. vi
Archidiaconus,
b Cap. Ad
hac ibidem.*

Cum dignitates in Ecclesijs, præsertim Cathedralibus ad conseruandam augendamque Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ: vt qui eas obtinerent pietate præcellerent, alijsque exemplo essent, atque Episcopos opere ac officio iuuarent: meritò Archidiaconi tales esse debent. Qui in partē sollicitudinis a Episcopalis vocati sunt, vt Episcopo cooperentur, & cum eo onus populi sustineant, vt non ille solus grauetur. Propter quod à Patribus oculi Episcopi, eiusque Vicarij aliquando nominantur, quia omnia quæ exercent ad Episcopos pertinet.

Quo-

Quorum si vigilātia & solertia, quemadmodum debuisset, in domo Dei excubasset; nunquam ut iustissimè queritur Concilium prouinciale sub Adolpho tertio Anno 1549. 6. Aprilis habitum, pag. 493. Sancta Colonienſis Ecclesia & Diœcesis (quæ fide ac pietate in Deum sanctissimorumque Episcoporum suorum, ac Martyrum vita, ac sanguine præ omnibus penè alijs totius orbis Ecclesijs, nobilis est atque illustis) ad hanc, in qua eam nunc uide re est, peruenisset deformitatem; nunquam in ea tot hæreses, & sectæ, moresque corrupti, eouſque inualuissent; nec iaceret adeò disciplina Ecclesiastica neglecta, neque cultus Dei sine cultu, eiusque honor sine honore. Quæ meritò Archidiaconos eorumque coöperatores Archipresbyteros, aliosque Prælatos, qui in eandem sollicitudinis partē vocati sunt, de somno, in quo hætenus iacuerunt, excita re debent. Veniet enim aliquando dies illa, dies illa aliquando ueniet, & adesse properat, cùm antè tribunal æterni iudicis, qui etiam uerbum ociosum, & boni operis omissionem ac negligentiam, in iudicium æquitatis uocaturus est, de conuersatione, honore, & doctrina, ecclesiasticorum, ac delinquentium correctione, ceterarumque rerum suæ inspectioni commissarum studio, reddere cogentur rationem. Vbi si in fide, religione, pietate, morumque disciplina; quæ sanctorum Archiepiscoporum Martini, Seuerini, Euergisli, Cuniberti, aliorumque sanctorum Episcoporum, & huius Diœcesis Patronorum, uigilijs, orationibus, ieiunijs, patientia, sollicitudine, studijs, laboribus, uita denique & morte in hac Ecclesia fundata, erecta, & stabilita fuerunt, eorum incuria, negligentia, aut omissione aliquid neglectum, incultum, aut surreptum inueniatur; non eos sibi experientur Patronos, sed acres ac uehementes accusatores, seuerosque Iudices; quod gloriosos operososque eorum labores, in quos subintroierunt, tam ignauo ociosoque animo exinanierint atque dissipauerint. Iustissimè enim aliorum

*c De officio
Archidiaconi
cap. vi Archidiaconus, &c.
Ad hæc.*

labores exinanuisse & dissipasse censendi sunt, quorum incuria atque negligentia, exinaniti atque dissipati sunt. Quanta autem & quibus in rebus Archidiaconorum vigilantia, cura & inspectio desideretur, & in quam sollicitudinis Episcopalis partem sint vocati, cum ex generalibus Concilijs, & Pontificum Romanorum Decretis ac decretalibus Epistolis, tum ex provincialibus synodali- busque Archiepiscoporum Colonienſium definitionibus, proprijsque Diœcesis huius statutis, & præscriptionibus, nostrisque hisce constitutionibus, cuius potest esse manifestum.

Adolp. 3.
in synodo An
no 1551 alte
ra post Domi
nic. Inuoca-
mi: habita pa.
524. d. &
525. a. & in
syno Anno
1550. feria 5.
post Remigij
peracta pag.
508. b. c. Con
stitutio item
Henrici An
no 1321 po-
stridie Remi-
gij edita, &
Conrad. Car-
din. cap. 3.
pag. 3.
e Adolp. 3 in
formula In-
quisitionis in
Cathedralib.
& Collegiis
in Ecclesijs
instituenda.
§. 14. pa. 478.
d. 479. a
f Concil pro-
uinc. sub Her-
m. anno. 5. pm

2- Archidiaconorum officium est, curare ut Canoni- cæ sanctiones, & Ecclesiasticæ leges de effectui mancipen- tur, atque ab omnibus inuiolabiliter atque obedienter obseruentur, eaque omnia in suo territorio præstare, quæ in Diœcesi Episcopus, cuius sunt oculi, exceptis duntaxat his, quæ Episcopalis propria sunt muneris.

3. Placita e itaque Episcopi sui, & quæcumque in Episco- pali seu Prouinciali Concilio sancita sunt, in suis syno- dis, Parochis suæ curæ commissis publicabunt, & quæ in illis ad populum spectant curabunt, ut à parochis popu- lo publicentur. Et ut parochi seu Ecclesiarum curato- res in officio suo sint diligentes, eoque in omnibus ritè fun- gantur superintendent.

4. Eandem adhibebunt diligentiam & sollicitudi- nem, ut promulgentur Romani Pontificis Bullæ & Con- stitutiones, tam eæ quæ pro communi Ecclesiæ statu ac bono deinceps ædentur, quam quæ pro particulari ali- qua causa (cuius aliquorum in Diœcesi sua cõmorantium interesse poterit) emanabunt. Qua in re, ne quod hæc- nus visum est, pleraque, quæ in vrbe publicata sunt hic prot- sus incognita sint, nullumque fructum faciant, ac illu- stris ista Diœcesis, in istis publicandis & exequendis à San- ctæ Romanæ Sedis obedientia exempta, aut eidem vide- atur non esse subiecta: Primo ac supremo huius Diœce- sis

sis Archidiacono iniungimus, vt quotannis circa Domi-
nica Natiuitatis festiuitatem, omnium Constitutionū,
quæ in vrbe isto anno publicatæ sunt, ac Diœcesin suam,
nobile Catholicæ Romanæ Ecclesiæ membrum, quauis
ratione tangere poterunt, indiculum seu catalogum si-
bi transmitti curet, eumque in synodo vernali, quæ quo-
tannis haberi debet, publicè legendum exhibeat, vt si
quid in illis publicandis, alicuius incuria neglectum fue-
rit, id tunc corrigatur, & negligentia curetur.

5. Eidem etiã posthæc incumbet, vt Ecclesiasticas Con-
stitutiones, quæ publicandæ erunt, typis excudi curet,
quò facilius omnibus quorum interest innotescat, & sin-
guli exemplum earum habere queant.

6. Vt ea quæ publicata sunt, sanctè ab omnibus obser-
uentur, Archidiaconi singulis h quibusq; annis, minimū
semel, & frequentius si quæ causa postulauerit, singulas
territorij, seu Regiunculæ suæ Ecclesias, in propria per-
sona obibunt, & visitabunt, super excessibus, erroribus,
vitijs & criminibus inquirent, eaque corrigent, k euel-
lent, l destruunt, disperdent, ac dissipabunt, atq; eorum lo-
co virtutes, moresque bonos inserent, eosque proue-
hent, & in vsu ac vigore suo retinebunt, & conseruabunt.

7. Maximè verò inuigilabunt, & vigilantissimè caue-
bunt, ne m quid aduersus fidem & pietatem emergat, si ta-
le quid obrepere animaduertent; mox antequam glif-
cat, ac inualescat, Episcopo suo, ad quem prima cura per-
tinet indicabunt.

8. Quò in primis spectat, quod in synodo Diœcesana
sub Adolpho tertio Anno 1550. 26. Martij pag. 465. cun-
ctis Prælati, & ijs quibus cura superintendendi commif-
sa est, iniunctum fuit, vt facta domatim inquisitione li-
brorum, quibus sub se tam Ecclesiastici, quàm sæculares
vtuntur: omnes libros hereticos suspecteq; fidei aboleant,
& si qui fuerint, qui eiusmodi libros tradere recusaue-
rint, eos Episcopo suo deferant.

9. Et b.

pag. 467.
g. Adolp. in-
f. r. n. l. i. in-
quisitionis
Cathedral.
Ecclesiar. 5.
12. pa. 472. d.
h. Adolph. 3.
in formula
inquisitionis
Cathedraliū
& Collegia-
tium Eccle-
siarum 5. 15.
pag. 79. a.
Synodus
Diœcesana
Anno 1551. al-
tera post In-
uocauit ha-
bita pag.
528. a.
i. De officio
Archidiaconi
ca. Man-
damus.
k. Concil. pro-
uinc. sub
Herm. 5. par-
te 7. c. 38.
l. Concil. pro-
uinc. sub A-
dolph. 3. pag.
438. d.
m. Adolp. in-
formula in-
quisitionis,
Cathed. &
Colleg. Ec-
clesiarum
5. 14. p. 479.
& in Synod.
Diœcesana
Anno 1551. al-
tera post In-
uocauit ha-
bita p. 525. a.

*n Synod. diz a
cef. anno
1551. altera
post Domi-
nic. Inuocani
habita. pag.
525.*

*o Adolp. in
formula in-
quisitionis §.
13. pag. 478.
d.*

*p Synodus
vernalis sub
Adolp. 3. An-
no 1551. pag.
525. a. &
538. b.*

9. Et si quæ alia grauiora *n* crimina commissa fue-
rint, quæ modum & vires eorum excedunt, ea quoque ad
Episcopum & Synodum Episcopalem referent, publico
iudicio submittenda.

10. Synodis Episcopalibus semper intererunt, *o* non
tantum vt in illis referant & exponant regiunculae suæ
statum; sed & vnà cum patribus consulant, & decernant
Synodalia Decreta & sententias.

11. Cùm verò & ipsi secundo *p* quoq; anno Synodum
parochialem agere teneantur, eandem ea cura & diligen-
tia peragant, vt ager Dominicus ab omnibus tribulis &
spinis, quibus siluescebat, hac cultura purgatus & excul-
tus, omnium bonorum fructum faciat vberiore ac la-
tior.

12. Vt hæ synodi nequaquam tantum vmbrales sint,
& quandam duntaxat apparentem synodorum formam
præ se ferant: sed reuera sint quod esse debent, sacrorum
Canonum, atque Ecclesiasticarum Cōstitutionum vin-
dices, Ecclesiæ reformatio, omniumque lapsorum atq;
labentium integra & firma restitutio: Curabunt Archi-
diaconi, instante die synodi Episcopalis vel Archidiao-
nalis, per omnes Ecclesias, tam regulares, quàm Colle-
giatas & parochiales, diem hunc publicari, omnem-
que Clerum & populum, ad sacram Confessionem, Eu-
charistiam, & orationem, aliaque Christianæ religionis,
& charitatis opera inuitari, quatenus corde contrito &
humiliato, & beneficentiæ ac communicationis officiis
Deum sibi faciant propitium, omnesque digni fiant, qui
vocem & voluntatem eius audire & percipere queant,
induanturque virtute ex alto, qua fortes fiant atque con-
stantes, vt sine timore, trepidatione, & absque omni ter-
giuersatione, ad ea quæ facienda cognouerint, exequen-
da & perficienda conualescant. In quod opus, vt quique
Christi fideles sint paratiores, & magna animi deuotio-
ne ac concordia, ad Ecclesiæ reformationem concurrât,
atque

atque conspirent: singulis sacerdotibus, qui durante synodo, de Spiritu sancto Missæ sacrificium fecerint, aut minimum collectam de Spiritu sancto in Missæ sacrificio hac intentione dixerint, item Clericis atque laicis, qui sacram Eucharistiam sumpserint, & pro obtinenda hac gratia instanter orauerint; autoritate nobis concessa, quoties id fecerint, 40. dies de iniuncta eis poenitentia misericorditer relaxamus. Qui autem præterea in hunc finem tribus diebus vel continuis vel non continuis ieiunauerint, vel tantum in Eleemosynam dederint, quantum communiter triduo pro refectioe seu sustentatione corporis sui expendere solent, vel tres Ecclesias, aut vnam tertio visitauerint, & deuotè pro reformatione Ecclesiæ orauerint, vel alioquin in hunc finem aliquod notabile poenitentia opus fecerint, illis alios triginta dies de iniuncta eis poenitentia in Domino remittimus.

13. Et quoniam Archidiaconis (vt q quibus claus iuris dictionis commissa est) incumbit, nomine Episcopi sui parochias ordinare, & prouidere, ne quisquã in exploratus ad Ecclesiarum & animarum curam gerendam admittatur; neque qui principales Ecclesiarum Rectores dici volunt, pascendi suorum gregu curam, in mercenarios vel vicarios, qui prius examinati, & admissi non sint, relegent; ne item quisquam suspectæ, svel impuræ doctrinæ, Apostata, & incestuosus monachus, vel aliàs non habens licentiam à Superioribus, neque intrusus, vel illegitimè promotus, in Regimine parochialium Ecclesiaru sustineatur, & vt qui Canonicè promoti sunt, officij sui non sint negligetes &c. His omnibus & singulis, vt aliàs semper, ita præcipuè in synodis suis, sagaci cura ac sollicitudine inuigilare debent.

14. Vigilanter quoque & sollicitè satagent ac curabunt, vt nullus admittatur ad Pædagogia gubernanda, nisi exploratus: & si quis inueniatur suspectus de hæresi, seu aliqua praua doctrina, is depellatur, & alius idoneus

q Adolp. in
Synodo ver-
nali Diœce-
sana Anni
1550. pag.
508. a.

De officio
Archi. c. Ad
hæc Concil.
prouinc. sub
Herm. 5. par-
te 1. cap. 12.

* Synod. Diœ-
cesana sub A-
dolp. 3. Anno
1550. feria 5.
post Remigij
habita pag.
508. a. b. c.

Synodus
Diœcesana
vernalis An-
ni 1550. sub
Adolp. 3. pag.
464. de in-
ceps,

Synod. Diœ-
cesana sub
Adolp. 3. An-
no 1548. 2.
Ostobris ha-
bita, pa. 414.
a.

Synodus Diœ-
cesana sub
Adolp. 3. An-
no 1550. 26.
Mart. habit.
pag. 465. a.

in locum ipsius substituatur.

15. Ad hæc præstanda tanta debet esse Archidiaconis animi virtus & constantia, vt nullo persecutionum metu infatuentur, & persecutioni cedendo, à persecutoribus conculcentur. Sed, vt eorum consecretur virtutes, quorum nominibus insigniuntur, quemadmodum inuictissimus Protomartyr Christi & Leuita D. Stephanus, eiusdemque ordinis & consummationis Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus S. Laurentius, in persecutionibus inuincibiles persistât, & crescente malorū, aduersus se sibiq; subiectos peruersitate, ab Ecclesiarū cura & sollicitudine nō solū nō desistant; sed quod electorū est propriū, maiori contentione & alacritate, ad curandam Ecclesiarum salutem & incolumitatem, pleni fide, spe, & charitate sese erigant, synodosq; suas ad tranquilliora tempora, quæ Euangelium Christi nobis non promittit, nequaquam differant: exemplo B. Stephani, Romani Pontificis & Martyris, de quo in officio *u* Romano legitur: quod vehementius iam ingrauescente persecutione Imperatorum; conuocato Clero, ad martyrium suos hortabatur, in cryptisque Martyrum assiduè Missas & Concilia celebrabat. Nam cū Archidiaconorum synodi nō solū ad publicanda & exequenda synodalia decreta, reformandosque mores, & Parochias ordinandas sint institutæ; sed & ad cognoscendas Ecclesiarum quæstiones, & difficultates, quæ persecutionum tempore & numero & nouitate obscuritateque sua Christi fidelium Pastoribus multum solent facefcere negotij, ac in officio suo exequendo remorari: vt non desit Catholicis, sanæ doctrine, & resolutio publica auctoritate capta, in qua tuto conuiescere possint, non deesse eis debet Archidiaconorum officium, in hisce inquirendis, audiendis, & cognoscendis, vt si quæ eorum quoque, vel eruditionis, vel iurisdictionis, & auctoritatis facultates excedât; eas ad Episcopum vel proximè futuram synodum referant. Quam

iuxta

u Ad 2. diem
mensis Aug.

iuxta antiquam & laudabilem huius Diœcesis consuetudinem, & synodalem Constitutionem sub Adolpho tertio Anno 1551. æditâ, cuius initium est, *Tertio et si*, pagi. 524. c. singulis quibusque annis bis haberi volumus, eademque censuras & pœnas quæ hoc Decreto in Prelatos & alios, qui huiusmodi synodo, prout debent non interfunt, repetitæ & innouatæ sunt, similiter repetimus & innouamus. Et ne Decani Collegiorum aut Pastorû sumptus excusent, quò minus synodum accedant, obseruari volumus constitutionem hanc Concilij Prouincialis sub Adolpho 3. Anno 1549. habiti; vt nempe pro numero dierum quibus Concilium aut synodus durat, conferant Decanis suis Collegia & Parochi, absque tergiversatione, subsidia, in sumptus quos necessario facere debent.

De Synodorum celebratione medio quinto ad reformationem necessario, pag. 441. b. d.

16. Cùm iuxta sacras Canonum sanctiones Archidiaconi officium sit, Episcopum, quando Diœcesin suam visitaturus est, vel illos quibus id muneris delegauerit, aliquot diebus per Parochias quas visitaturi sũt, præire, eisque parare viam, minoresque ac leuiores causas corrigere, & emendare; ne Episcopus leuioribus negotijs fatigetur, ac vno loco diutius herere cogatur, quàm sit necesse, aut alioquin expediat; & propter latitudinẽ amplissimæ Coloniensis Diœcesis, quæ in quatuor Archidiaconatus principales, & quã plurimos Archipresbyteratus, seu Decanias rurales distincta est, hoc muneris in oēs Archipresbyteros, hoc est tã Decanos Collegiales, quã Rurales, qui Christianitatum vocantur, in formula visitationis, Cleri & populi, Ciuitatis & Diœcesis Coloniensis, Anno 1549. 20. Decemb. ab Adolpho tertio eius nominis Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopo ædita, sit distributum: Declaramus Archidiaconos hac ordinatione ita esse subleuatos, vt tamen eis incubat Archipresbyteris vigilanter superintẽdere, & curare, vt ea omnia, quæ ad præparationem

Adolph 3. in præparatione ad visitationem pag. 474. b. c. d.

Ibidem.

tionem visitationis ipsis in dicta formula præscripta sunt, per seipfos præsent, & quodocunque aliàs pro veteri consuetudine visitationem exercere debet, eandem studiosissimè * per seipfos, & non per alios exequantur.

*cap 3. ses.
24. Concil.
Trid. de refor
mat.

17. Quòd si vel in hoc officio, vel in alio quocunq; Archipresbyteri, à peruicacibus, & Ecclesiasticarum Constitutionum contemptoribus impediuntur; seu à Sæcularibus potestatibus, ac alijs quibuscunque Catholicæ religionis parum obseruantibus, aliquod obstaculum offeratur; Archidiaconorum erit, Archipresbyterorum impotentiã hac in parte adiuuare, & si necessitas postulauerit, S. Cæsar. Maiestatis auxiliũ, & patrociniũ, ad frangendam peruerforum malitiam inuocare, prout in simili causa in synodo Diocæsana sub Adolpho tertio Anno 1549. 2. Octob. decretum & definitum fuit, pag. 459. c. d.

Cap Accepi
mus Magi
stratus sæ
culares,
pag. 453.

Saluo nihilominus decreto Concilij prouincialis, quod præsidente D. Adolpho 3. Colonienfis Ecclesiæ Archiepiscopo, Anno 1449. 6. Aprilis celebratum est: quo declarantur excommunicationem, à iure & Canonibus latã incurrere, qui Decanos Rurales impediunt, quò minus possint officia & iurisdictionem suam exercere, synodos liberè celebrare, & excessus corrigere, sed iudicium hoc sibi vendicant.

18. Et ne vel in hoc, vel in alio munere neglecti aut nõ executi officij culpa in Officialibus vel Decanis ruralibus inueniri queat; obseruari volumus 20. caput partis 14. Concilij Prouincialis sub Hermanno quinto habiti: vt nempe Archidiaconi, nullos inidoneos officiales aut Decanos rurales deligant, aut admittant. Sed ad has functiones viros tantũ assumant, cum doctrina præstantes, tum vitæ innocentis inculpatæq; qui nullius criminis labe notabiles officium suum irreprehensibiliter exequantur.

19. Cũ de iure communi, ad Archidiaconi spectet officium;

officium; ordinandos examinare, eosque repræsentare Episcopo; idque, ut alia multa Archidiaconis incumbentia officia, in aliorum humeros ita reiectum sit, quasi minime ad Archidiaconos pertineret: quamuis præcipere possumus, quia tamen pro ingenita eis animorum nobilitate, plus nos obtenturos confidimus, si rogemus: Rogamus eos per gloriosam Christi humilitatem, ut ne ingloriosum ducant, Domino gloriæ hoc dignitatis suæ præstare ministerium, ut in cooptandis, & præsentandis Sacramentorum ac mysteriorum Dei dispensatoribus, eisque subseruientibus ministris, eandem adhibeant diligentiam, quæ à maioribus nostris, primisque Ecclesiæ Archidiaconis hæc exhibita fuit, atque Ordinandorum examinationi ita sedulo attenteque interesse studeant, ut ipso S. Ordinationis tempore Episcopo interroganti, an sciant illos esse dignos, non tanquam alienam personam gerentes, neque ex aliorum ore, seu ut nudam cæremoniã, sed ex iudicij sui testimonio verè respondere possint: Quantum ad humanum spectat examen, se credere illos, natura, scientia, & moribus dignos esse, & probos, qui S. Ordinis Sacramento initiarentur. Nam non ad Episcopos dumtaxat, sed ad eorum quoque cooperatores; illos præsertim, quibus examinationis & præsentationis incumbit munus, spectat illa Apostoli per Spiritum sanctum emissa præceptio: *Manus citò nemini imposueris, neq. communica ueris peccatis alienis.* Quod exponens D. Leo Magnus: *Epist. 87.* Quid est, inquit, manus citò imponere, nisi ante ætatem naturitatis, ante tẽpus examinis, ante meritum laboris, ante scientiam discipline, sacerdotales honores tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici Ordinantem, qualis est qui non meruit ordinari?

20. Porro quandoquidem in causis spiritualibus seu Ecclesiasticis, iuxta statuta Coloniensis Ecclesiæ, etiam Iudicis officium Archidiaconi tribui videatur: quales

Pag. 308. 310.

causæ à synodo Diocesana Anno 1550. feria quinta post Remigij habita, inter alias esse decernuntur, quando de institutione vel destitutione Clericorum seu iure præsentandi, instituendi, conferendi vel prouidendi agitur, vel super decimis, alijsq; Ecclesiasticis rebus, bonis, facultatibus, prouentibus & obuentionibus, seu testamentis ad pias causas conditis; vel cùm de coniugiorum nexu, & vinculis aut de vsuris alijsue similibus spiritualibus negotijs disceptatur; vt Archidiaconi, quibus huiusmodi officium aut de iure, aut ex consuetudine, concessum & creditum est, in dicendis sententijs, à veritate & iustitia non declinent, nihilq; contra iudicij sui testimonium, fauore aut prece delinquant; à facilitate credulitatis debent esse immunes, & ab accipiendis muneribus, quæ excæcant oculos prudentum, & manus & animum continere; nec facies accipere peccatorum, sed iudicare causas meritorum.

21. Cùm itaque sicuti nulla Ecclesiasticæ dignitatis functio, Episcopali muneri propinquior est, & ad subleuanda Episcopalia onera accommodatior, quàm functio Archidiaconi; ita neque vllum munus post illud, aut Ecclesiæ magis sit necessarium, aut fungenti magis arduum: intenta sollicitudine & sollicita intentione sat agendum erit, vt viri ad hoc munus idonei, & ad Episcoporum virtutes proximè accedentes eligantur. qui dictate Spiritu sancto, per consensum omnium totius Ecclesiæ Patrū, in omnibus Ecclesijs, vbi fieri poterit, debent esse Magistri in Theologia, aut Licētiati in Iure Canonico. Quorū omnis atas à puerilibus exordijs, vsq; ad prouectiores annos, per disciplinæ Ecclesiasticæ stipēdia cucurrit, vt ne his Ecclesia Domini regēda credatur, qui legitimarum institutionum nescij, & totius humilitatis ignari, non ab infimis sumere incrementum, sed à summis volunt habere principium: cùm valde iniquum sit & absurdum, vt imperiti magistris, noui antiquis, & rudes præ-

Concil. Tri-
dent. sess. 24.
cap. 12.

D. Leo Epist.
87. c. 1.

De his D. Ber-
nard. Epist.
42.

præficiantur emeritis; nec minus inordinatum atq; per-
 uersum, vt ordinandis, regendis, & corrigendis sacerdoti Diff. 61. cap. 2.
 bus præponantur, qui in nullo gradu vnquam obsecuti Miserum.
 sunt sacerdotibus.

22. Hæc de officio Archidiaconi ita recensita sint, vt
 cætera, quæ in SS. Patrum antiquis & venerabilibus san-
 ctionibus, de Archiadiconi officio sunt præscripta, mini-
 mè velimus esse antiquata; sed quæcunque in illis præte-
 rea inueniri poterunt, quæ ad decorem domus Dei, ad
 tuendam, propagandam, & illustrandam fidem Catholi-
 cam, atque ad innouandum disciplinæ Ecclesiasticæ vi-
 gorem, quoquo modo facere possunt; eadem Archidia-
 cono frequenter sibi ob oculos ponant, & quantum Deū
 amant, tantum eius honorem in omnibus promouere
 studeant, ac secundum formulam sibi præscriptam à Pa-
 tribus, quorum lingua fuit calamus, sancta & iusta scri- Prover. 8. 12.
 bentis; non minori deuotione vitam, & actiones suas cō-
 ponant, quàm, si immediatè eam de manu Dei accepissēt.

23. Quæ verò de institutione corporali, tã super officijs,
 beneficijs, & curis, quã dignitatibus, præscribenda hîc Ar-
 chidiaconis fuissent, ea proprijs suis locis & titulis dige-
 sta sunt. Quæ quidem vt alia omnia Ecclesiæ Colonien-
 sis statuta, eo studio perlegant, vt cunctis, quibus præsumt,
 & officij dignitate præminent, viua lex & lux esse pos-
 sint, atque vitæ & morum integritate hoc præ se ferant,
 ad quod alios autoritate & iurisdictionis potestate, pro-
 mouere & prouehere debent.

DE ARCHIPRESBYTERIS.

Magnam cum Archidiaconis affinitatem habent I.
 Archipresbyteri. Quo nomine Adolphus tertius,
 Archiepis. Colonienfis in præparatione ad visitationem
 Decanos,